

mnibus labor, decerpere, imo avellere a vivo sacri codicis corpore dictum aliquod, quomodocunque intellectum, velut lacertum quendam, aut aliud cruentum quamvis & renitens membrum, nulla laceri corporis ratione habita; vel allusionibus terere diem, iisque magnam partem ineptis & ignorantia plenis. Hæc studii Biblici facies istis adeo temporibus fuit: lacrumabilis fane ac bonis mentibus studiose fugienda.

Sed rediit suus honor & huic disciplinæ, cum repurgatio sacrorum larvas illas & lemures e Theologorum scholis ejiceret. Præstinus enim & masculus vigor Apostolicorum virorum in tractanda Scriptura rediit in Lutherum, Brentium, Crucigerum, & plures alios. Qui autem non edocti, surrogante Dei spiritu, faciebant sine multis regu-

regu-